

imminuendam poenam. (2.) Quia Reus confitendò delictum se facit infamem, inde nulli, qui crimen confessus est, credi debet in alterius præjudicium, & cum primis in damnum vitæ *c.1. Ext. de Confess. c.10. Ext. de Testib.* infamia siquidem enervat omnem fidem. Ex quibus sequetur, quòd talis confessio nullam fidem mereri, adeoque de jure nullum effectum habere possit: & ita ex istiusmodi confessione ad torturam procedi nequeat, quin ne quidem eâ ratione iudex potestatem habeat ejusmodi delinquentem & confitentem interrogandi.

Sed quàm multæ licet rationes in medium afferri possint, quòd iudex eum, qui proprium delictum confitetur, de socio criminis interrogare nequeat; tamen in promptu est nostra Sanctio, quæ ex illa interrogatione, & ad istam facta nominatione, indicium sub certis tamen conditionibus desumi vult. Et quidem de indicio *ad inquirendum*, seu ad assumendas alias informationes, nullum est dubium; quoniam quicumque fuerit denunciatus, vel etiam quilibet alius testis potest iudici sufficientem causam præbere ad inquirendum. Quinimò, uti Berlichius ex aliorum sententia *part.4. Concl.4 n.109. fol.39.* concludit quòd simplex nominatio v. gr. veneficæ non faciat indicium ne quidem ad inquisitionem, nisi alia concurrant indicia. Quandoquidem solent ejusmodi confitentes in confessionibus suis personas innocentes, & quidem eas, quæ sunt in dignitate constitutæ, nominare, sub spe consequendi impunitatem, & liberationem; attamen ad torturam hoc regulariter non sufficit. *Meuch. l.1. qv.89. n.73. de Presumpt. fol.114. Jul. Clar. l.5. sent. §. fin. qv.21. v.7. fol.522. Zanger. c.2. n.51. & 54. de Tort. p.797.* Sed missis illis, videamus requisita, quæ Imperator adesse vult, nominatio Socii Criminis aliquem effectum habere possit ad torturam.

1 *Ut interrogatio de complicibus seu sociis criminis fiat in tortura à Judice & quidem in genere.* Id est, Reus in genere interrogari debet, quisnam ei socius fuerit in perpetrando delicto, non verò in specie vel in Individuo. Sunt enim quædam delicta, quæ absque sociis in effectum facile deduci non possunt, uti est latrocinium, diffidatio; Seditio: quædam licet absque sociis peragi queant, eorum tamen datur societas aliqua, cui se addicunt, qui isti crimini sunt dediti, licet in ejus perpetratio- ne se non semper juvent, uti est crimen Magiæ. Sed ut interrogatio istæ rectè fiat, necesse est, ut illa fiat (1) à Judice: Nam si facinorosus non interrogatus de sociis à Judice, suâ sponte fateatur aliquos esse ejusdem delicti socios, eosque nominet, istæ nominatio est suspecta, & indicium

S

ad